







1710.

1. Bogen, Joh. Georgius, a: De bile ietero causa ficta.
- 2^a Coccejus, Henricus: De iustitia puenae in absentes
vel mortuos statuendae, atque in officio exequendae.

1711.

1. Coccejus, Henricus: De evocatione sacerdotum.
2. Coccejus, Henricus: De ordine succedendi foeminarum
illustratum in Territoriis
3. Coccejus, Henricus, a: De dominio seu imperio orbis.

1712.

1. Coccejus, Henricus, a: De differentis juris Civis
et Marchisi. Ed. 2. 1714.
2. Dithmarus, Joh. Christophorus: De vicariorum S. R. I.
origine et progressu.

1713.

1. Coccejus, Henricus, a: De reductione ad arbitrium
boni viri.

2^a = Coccejus, Henricus, a : De mandato ad heredes
transsente 2 Sampl.

3. Coccejus, Henricus : De voto captandae mortis -

1714.

Coccejus, Henricus : De renunciationibus et reservationibus
in bono filiorum illustrium.

1715

1. Coccejus, Henricus : De jure nocendi aliis

2. Steinmetz, Bernardus Henricus : De iure Publiciano.

es

is

lio

Handwritten notes on the left edge of the page, including the number "17" and various illegible characters.



1. *Corypha, thurina*, ...
... ..

2. *Corypha, thurina*, ...
... ..

3. *Corypha, thurina*, ...
... ..

4. *Corypha, thurina*, ...
... ..

5. *Corypha, thurina*, ...
... ..



10 f. 112

Gr. S. num. 37.

21

21

DISPUTATIO JURIDICA,
DE

**JUSTITIA POENÆ
IN ABSENTES VEL MOR-
TUOS STATUENDÆ, ATQVE
IN EFFIGIE EXEQVENDÆ,**

427.

Quam
*FAVENTE DIVINO NUMINE
RECTORE MAGNIFICENTISSIMO,*

AUGUSTO & SERENISSIMO REGIO PRINCIPE ac DOMINO,

DN. FRID. WILHELMO,

REGNI BORUSSIÆ, ac ELECTORATUS BRANDENBURGICI
HEREDE &c. &c.

PRÆSIDE

VIRO PERILLUSTRI

DN. HENRICO COCCEJO,

AUGUST. ac POTENTISS. BORUSSIÆ REGIS

CONSILIARIO INTIMO,

FACULTAT. JURID. ORDINARIO, & IN HAC ALMA VIA-
DRINA ANTECESSORE PRIMARIO,

Ad d. XXVI. Febr. Ann. MDCC XI.

IN AUDITORIO JURIDICO

Placido Eruditorum Examine sistit

FRIDERICUS WILHELMUS de MARWITZ,

Eques Marchicus.

Francofurti ad Viadrum, Literis Joh. Christoph. Schwaner



DISPUTATIO JURIDICA

JUSTITIA POTINA

INMENSES VIL MOR

TUSSITATU ENDE AFQVE

THE THE EXPQVE

UNITE DUKINO ZMINE

AND MACIN ENIMO

DAERID VIL HELMO

THE THE EXPQVE


DA THARRICO COCCIO

AND MACIN ENIMO

UNITE DUKINO ZMINE

AND MACIN ENIMO

UNITE DUKINO ZMINE



Francfurt ad Vindob. Joh. Christoph. ...





DISPUTATIO

DE

JUSTITIA POENÆ IN ABSENTES
VEL MORTUOS STATUENDÆ,
atq; IN EFFIGIE EXEQVENDÆ.

PRÆFATIO.

SUMMARIA.

1. Executionum in effigie in certis casibus utilitas.
2. Cum non fiant nisi in absentibus & mortuos queritur de hujusmodi pœnarum & executionum justitia.



S. I.

Amosæ illæ, quæ recentiore imprimis memoriâ frequentatæ sunt, Executiones in effigie ex jure quidem Romano originem causamque non ducunt, neque inde formam coloremque suum traxerunt; non inutili tamen consilio quandoque gravissimorum scelerum, quæ atrocitatem facti cum periculo ac clade Reip. conjunctam

A

Etam

(2.)

Etiam habent, vindicta & par pœnæ acerbitas quasi ex Scenâ quadam publicè exhibetur; cùm enim Scenâ quoque ludicrâ animos spectantium mirificè sæpè impellant, & umbræ suppliciorum terroribus impleant, nedum tam terrificæ Executionis facies, quæ & atrocissimæ mortis imaginem refert, & præterea in bona, in famam ac dignitatem, in memoriam, in liberos ipsos, & aded in omnia quæ carissima sunt hominibus, funestissimos læviendi modos decernit & exequitur.

§. 2.

Cùm verò ea imagine opus non sit si reus vivit, & præsens ac in potestate est, adeoque ejus usus tantum esse possit in absentes vel mortuos, in quos tamen criminali aut capitali judicio ne cognosci quidem in causa principali, nedum ad executionem pœnæ procedi jure communi potest dispiciendum videtur de justitia harum Pœnarum, quibus earum executio rationibus, & quousque defendi queat. Hoc solum igitur compendio nunc persequar; cum materia ipsa executionis in effigie, de qua Vir Nobiliss. & Doctiss. Dn. Henricus de Zobel, Bremensis, ac nominis in Patria sive Primarii, eruditissimam dissertationem inauguralem habuit, prolixior sit quàm pro instituti modo.

CAPUT I.

Quo ostenditur, judicium, cujus Pœna est corporis afflictiva, in absentes vel mortuos peragi non posse.

SUMMA-

SUMMARIA.

- §. 1. *Adversus absentes causam ad finem usque peragi posse I. in iudicio civili.*
- §. 2. *Nec ullam inde querendi causam relinqui absentibus.*
- §. 3. *Idem esse II. in iudicio criminali, si pœna non excedat relegationem.*
- §. 4. *Idem III. In omni criminali iudicio, etiam capitali, quoties de contumacia absentis saltem agitur.*
- §. 5. *Sed Q. An & in ipsa causa principali reus absens damnari possit, si pœna sit, quæ corpus affligit? Neg. & probatur per LL.*
- §. 6. *Quousque ergo interim procedendum?*
- §. 7. *Inde in causâ principali non posse Procuratorem intervenire, in causa contumacia posse.*
- §. 8. *Quod confirmatur.*
- §. 9. *usq; ad §. 20. multis rationibus exponitur ac demonstratur, absentes ad pœnas corporales & sanguinis damnari nullo jure posse;*
- idque recepti inter Gentes moris esse.*
- §. 20. *Solvitur Objectio.*
- §. 21. *Quæ contra Quæstiones seu Torturas moveri possint.*
- §. 22. *Ubi cœperint.*
- §. 23. *Probandas eas esse & ob criminum audaciam & inficiandi pervicaciam.*
- §. 24. *Execrabilem earum Abusum esse ad conscientiarum carnificinam.*
- §. 25. *Unde alia ratione probatur sententia.*
- §. 26. *Solvitur dubium.*
- §. 27. *Refutantur, qui praxin adversari putant: Errorem fluxisse à banno contumacia, quod excutitur, & rationibus nostris aptè convenire ostenditur.*
- §. 28. *Ex his regula statuitur; Executiones in offigii locum non habere, & juribus adversari.*
- §. 29. *Sequitur de iudicio in mortuos, quod multo magis rejicitur.*
- §. 30. *Quam ridiculum foret in contumaciam adversus*

(4.)

mortuos procedere.

§. 31. Ejus tamen rei Exem-
plum tradi ap. Thuan. in re
ecclesiastica.

§. 32. Concluditur, Judicium

criminale adversus mortuos
nullum, adversus absentes in
contumaciam, & in leviori-
bus ad pœnam quoque exer-
ceri posse. Transitus ad seq.

§. 1.

IN ambiguo non est, reos judicio civili conventos
per procuratores aequè ac per se defendi posse;
L. 1. §. pen. ff. de Procur. neque eos, si id factum fuerit,
indefensos atque inauditos videri; L. 39. L. 21. §. 2. ff.
Ex quib. caus. maj. sed perinde ac si ipsi præsentes fuis-
sent, condemnari, & sententiam Executione legitimè
perfici: L. 4. princ. ff. de Re judic. idque adèd quod extre-
mum in Jurisdictione est ad pacandam causam sopien-
damque litem fieri posse. L. un. §. 1. ff. Si quis jus dic. junct.
d. l. 4. pr.

§. 2.

Neque idèd ulla querendi causa Parti absenti reli-
cta est: Cùm enim id in ejus potestate sit, (nam si pu-
blica necessariaque absentia causa sit, paratum ipsi est
Prætoris auxilium) sibi debet expensum ferre, quòd,
si Procurator causam ea quâ par est fide vel diligen-
tiâ non geserit, ipse talem elegerit, vel electum non
fatis instruxerit, vel ipse præsens non fuerit. Ne-
que verò parti alteri, quæ præsens est aut causam
per alios urget, alterius absentia damnosa esse, aut jus
ipsius morari, aut alias ei officere debet. Altero igi-
tur instante, causa inoffenso Pede etiam contra ab-
sentem peragitur, & stare judicato legitimis remediis
absens quoque adigitur.

§. 3.

Sed &, si criminali judicio reus exagitetur, du-
plex

(5.)
plex est causa ac processus species, cui absentia partis
impedimento neutiquam est; Primum quando criminis
imputati poena non est corporis afflictiva adeoque relega-
tionem non excedit: *L. 1. ff. An per al. caus. l. 5. princ. ff. de Pen.* Hucusque enim quicquid in reum
absentem statuitur, tale est, ut in se illud admittere
queat, & sui ea res arbitrii sit; suumque adeo pericu-
lum, si per suam absentiam aut Procuratoris culpam a-
liquid praedicti causa illatum fuerit. Sibi ergo re-
us absit suoque periculo, & ipsi obest Procuratoris
sui negligentia seu tergiversatio quoad causam *L. 10. C. de Procur.*

§. 4.

Deinde, in omni iudicio, etiam capitali, si rei
absentis contumacia arguitur, & de ea cognoscendum
est, id quoque per Procuratorem fieri, reusque absens
a contumacia reatu defendi potest. *L. 33. §. 2. ff. de
Procur.* Neque enim solius contumacia accusatio ad
poenam corporis afflictivam extenditur, sed vel pecu-
naria multa est, *L. un. §. fin. ff. si quis jus dic. non obt. vel
missio in bona decernitur, l. 2. l. 7. §. 1. ff. Quib. ex caus. in
Poss. vel pignora capiuntur: L. 15. §. 2. ff. de re judic. Sc.*
vel, in gravissimis causis, arrestis, relegatione, banno,
subigitur, ultra autem extendi vix solet. *l. 5. princ. ff. de
Pen. Oldend. de Act. for. class. 1. art. 2. Carpz. de Proc. Jur. civ.
tit. 8. pass.* Ea vero omnia in absentes quoque statui
possunt.

§. 5.

Supereff igitur, An & in iudicio criminali, quo poe-
na sanguinis vel corporis afflictiva statuta est, adversus
absentes ipsa causa principalis peragi, & in ipsis cri-
minis poenam corporalem damnari illi possint? Id vero
plane negatur.

(6.)

Quod imprimis constanter satis defensum est jure communi, per *l. 5. princ. ff. de Pen.* ubi evidentiter omnia quæ compendio diximus, ita deciduntur; & contra absentes in causa contumaciæ quidem procedendum, in causa principali autem eos damnandos non esse traditur, nisi pœna relegationem non excedat, adeoque non sit corporis afflictiva seu similis. Quod & statuitur in *l. 1. princ. & §. 1. ff. de requir. vel abs. l. 6. C. de Accus.*

§. 6.

His ergo judiciis, quibus de pœnis corporalibus agitur, non procedendum est contra absentes in ipsa causa principali. *dd. ll. Quid ergo fit? Citantur absentes publicis Edictis: interim verò bona ipsorum auctoritate judiciali annotantur, caveturque ne absentia vel fuga inde instruat aut juvetur: d. tit. §. 2. l. fin. ff. de Requir. vel abs. d. l. 6. C. de Accus. l. pen. §. 1. ff. eod. tit. qui ordo procedendi & annotandi bona præscriptus quoque est in *Ord. Crim. art. 206.* Quod jam non moramur. In ipsa igitur causa principali non cognoscitur. *dd. ll. per §. 5.**

§. 7.

Quæ & causa est, cur Procurator absentis intervenire in causa principali nequeat, uti & hoc perpetuo jure definitum est; *d. pen. §. 1. ff. de Publ. jud. l. 11. §. 2. ff. Ad L. Jul. de Adult. & c.* Quin regula illa generalis est; quoties absens damnari non potest, nec procuratorem pro eo intervenire posse; quæ traditur in *l. 33. §. 2. ff. de Procurat.* Cur enim judicium & Procuratormitteretur, ubi condemnatio sequi nequit? Imò eo facto rei conditio, interveniente procuratore, fieret deterior; Causâ enim cognitâ etiam sententia ferenda erit, & sic condemnari posset reus, qui Procura-

(7.)
curatore remoto non potest: id quod pugnat cum
rationibus procuratoris, cujus est defendere causam,
non damnandi facultatem dare, quæ alias non com-
peteret.

§. 8.

Denique quoties de corporis pœna quæstio est,
id non est in potestate rei, neque aded is præjudici-
um corpori suo, Procuratorem dando, afferre potest;
cum membrorū suorum Dominus nemo sit. *l. 13. princ.
ff. Ad Leg. Aquil.* Unde constanter tenendum est; cum
hominibus hæctenus prospectum sit, ne absentes ad
supplicia pœnasque corporales damnentur, non posse
iplos procuratorem in ea causa dare; quia de eo
quod pro securitate sanguinis humani cautum est,
homines disponere nequeunt.

§. 9.

Quæ non modò legibus civilibus ita salubriter
constituta sunt, sed & naturæ rationibus conveni-
unt. Etenim I. non potest per naturam aliquid in
corpus actu statui, quod præsens & in potestate non
est. Naturali itaque ratione nulla pœnæ corporalis
executio in absentes fieri potest; adeoque nec talis
pœnæ statuendæ causa judicium institui. Quo e-
nim bonum esset judicium exerceri, quod exitum
habiturum non esset? *arg. l. 10. §. 4. ff. de Bon. poss. cont.
zabb.*

§. 10.

II. In tanto supplicio, ac præjudicio corporis, vi-
tæ, ac famæ, nemo condemnandus est nisi plenissimè
convictus. *l. fin. C. de Probat.* Etenim aded sacro sanctus
Deo est sanguinis humanus ut illum ab omnibus ho-
minibus, quin & à brutis & Bestiis quoque se vindi-
catu-

caturum & repositurum coram Noachidis testatus fuerit. *Gen. 9. v. 5.* Nullum igitur tam sacrum naturâ nefas est quam homicidium, quod nec in bestias inultum fore ipsa Divina Nemesis in conspectu generis humani comminata fuit. Unde in casibus, quibus ipsa Natura, summusque adeo rerum Arbiter, fundi sanguinem humanum permittit, religiose dispiciendum est, an casus ille extiterit, quod quid morte dignum factum fuerit. Quoad usque igitur illud ad huc dubium videri qualitercunque possit, nondum jus pœnæ Naturâ permissum natumve est. Non videtur autem plenissimè convictus, qui nequidem auditus est præsens: etsi enim idonei testes factum esse afferuerint, nescitur tamē, an Reus præsens allegare talia possit, quæ, si non declinandæ aut avertendæ pœnæ, at minuendæ ac moderandæ fortè conducerent; & quibus adeo si non à pœna reus absolvi posset, at à sanguine temperandum esset.

§. II.

III. Huic itaque casui rectè quoque applicatur aurea illa sententia, *in l. 5. pr. ff. de Pœn. Satius esse, impunitum relinqui facinus nocentis quam innocentem damnare.* Etenim, etsi nocens dimittatur, non effugiet ille vindictam ac pœnam, quia semper adhuc, apparente quandocunque delicto, ad pœnam trahi potest, vel, si non possit, aut crimen inter homines nunquam appareat, non latebit illud omnia pervidentem DEI oculum, nec fugiet certissimum Eius iudicium. Verùm pœna corpori in fontis semel illata, per naturam non potest ullatenus reparari aut unquam restitui, sed æterna perstabit fusi humani sanguinis injuria ac vindicta. Quod si igitur de crimine plenissime non constet, satius est

est differri pœnam quam inferri, quæ illata nunquam reparari; dilata, semper adhuc inferri potest.

§. 12.

IV. Necdubium est, multò plenius de causa constare posse Reo præsentem, quam absente, etsi hic Procuratorem habeat: cum Procurator non possit omnes facti circumstantias æquè perspectas atq; in numero habere, ut Reus ipse qui fecit. Sed nec prævideri omnia possunt, quæ in judicio occurrunt, aut quorum maximè rationem habiturus sit Judex, neq; aded instrui in omnes eventus Procurator; cum ipsum è contrario reum, facti auctorem, nihil ejus prætereat. Hinc nec potest Judex quoque perinde ex Procuratore informari, uti ex Reo ipso; minusque aded tutum est, hunc absentem & inauditum condemnari.

§. 13.

V. Sed & frustra expectaretur Procurator si absens eum vel dare vel instruere nolle; cum tutus hæcenus absentiam, dato Procuratore causam ipsam submitteret judicio, & hoc facto eam deteriore à sua parte redderet. Non posset autem Procurator nisi sufficienter informatus causam tueri; nec Reus tamen absens, denegando mandatum dare Procuratori eumque instruere, sibi in causa corporis ac sanguinis præjudicium creare; nec quicquã aded superesset, quam ut contra reum absentem & comparere detentantem in causa contumaciæ procedatur, *sup* §.

§. 14.

VI. Etsi igitur Reus insons non fuerit, nec pœnam delicto graviolem tulerit, id tamen à casu est, non à judicio: perinde ac, si planè inauditum ad solam accusationem Judex damnasset, & Reus tamen venire-

B

niretur supplicium satis promeruisse, tamen injuriã condemnaret. Quod Seneca in *Medea. vers. 199.* sic expressit: *Qui statuit aliquid parte inaudita alterã; Equum licet statuerit, haut equus fuit.* Ita improbat Trogus iudicium Carthaginensium, qui Ducem suum Hamilcarẽ, metu Imperii ipsius, tacitis suffragiis condemnaverant; quanquam enim causam ex sociis civitatibus audivissent, & examinasent, ac suffragia collegissent, verumque fuisset crimen Hamilcaris, tamen dicitur, *quod sui eum cives per injuriam inauditum damnaverint. apud Just. Hist. lib. 22. cap. 3.*

§. 15.

VII. Unde talis Reus inauditus dicitur, etsi causa ipsius ex aliis audita & cognita fuerit, uti ex loco modo allegato apparet, ubi causa Hamilcaris cognita erat, sed non ipso præsente: Idemque in *l. 1. princ. ff. de Requir. vel abs.* dicitur: *Ne absentes damnentur: neque enim in auditã causã quinquam damnari equitatis ratio patitur.* Cujus generis alia innumera afferri possent, ut appareret id communi iudicio gentium comprobatum esse. In causã Coriolani res publicẽ in Senatu acta erat, & manifesta; causa ipsa agebatur inter populũ & Patres absente Coriolano; Sicinius Trib. pleb. eum condemnaverat. Verũ senatus opposuit, neminem indictã causã esse condemnandum: Unde non valuit sententia, sed alia dies Coriolano dicta, eoque præsente causa ventilata, & damnatio secuta fuit. *Plutarch. in Coriol. Cap. 27. & seq. Liv. lib. 2. cap. 35.* Cum instinctu Clericorum ageretur in Gallia de excludendo Henrico Bourbonio, Navarra Rege, qui primus Regii sanguinis Princeps erat, à Regno Gallia, eò quòd cũ Ecclesia Romana nõ sentiret, & ideo illi perpetuo suo errore Hæretici-

(II.)

reticum dicerent, licet ille ad normam 4. Catholico-
rum Conciliorum, adeoque Ecclesie Catholicae, cre-
deret, jamque plurima ea de re acta essent, noluit
Henricus III. eum ante damnari, quam praesens audi-
tus esset, & allegata sunt in eam Rem plurima mo-
menta è lacris & profanis apud *Pierre Matibieu Hist. ge-
ner. tom. 1. ad ann. 1588. pag. 330. & seq.*

§. 16.

IIX. Atq; hinc occasio postea plerumque nata
fuit improbandi & execrandi talia judicia, etsi Re-
us merito suo damnatus punitusque fuerit. Rex
Poenorum Bomilcar, cum Poeni bello ab Agathocle
victi essent, instimulatus à Populo fuit favisse hosti;
qui in ipso supplicio ipsis objectat *nunc Hannonem, falsè
affectati Regni invidià circumventum; nunc in Hamilcarem,
patrum suum, tacita suffragia, quod Agathoclem socium illis
facere quem hostem maluerit &c. Just. lib. 22. c. 7.* Utrius-
que Hannonis & Hamilcaris crimina vera, & neuti-
quam illos infontes fuisse refert *Just. lib. 21. cap. 4 & lib.
22. cap. 3.* Sed, quòd praesentes auditi & ordine causa
acta non fuerat, invehitur Bomilcar ita in populum.
Atq; ita deinde nunquam illi pro convictis habentur,
sed semper reprehendendi rejiciendiq; judicii, licet
quàm maxime rei meriti fuerint, species haut vana
quaeritur, aut occasio captatur.

§. 17.

IX. Porro, idem Canones quoque, quin ipsa sa-
craliteræ præcipiunt, ne ex prædictis causis absen-
tes damnentur. Id pluribus traditur in *Clem. Pastoralis.
2. de sent. & re jud. & saepius inculcatur in c. 1. & pass. caus.
3. q. 9.* Ubi nec accusatorem nec testem in absentes
admitti conceditur, sed omnia quæ in eos acta sunt,
irri-

B 2

irri-

irrita esse & cassari jubentur; atque ad autoritatem sacrarum literarum provocatur; uti in *c. 13. ead. q. 9. Absens nemo judicetur, quia & divina & humanae leges id prohibent. Et in c. ult. ibid.* *Necesse est secundum sacrarum scripturarum documenta, ac secundum justitiæ tramitem, & accusatum & accusatorem simul adesse &c.* Quæ sacra autoritas desumitur ab exemplo summo *Gen. 3. & Actor. 25. v. 16. &c.* Licet verò prædicta loca de accusationibus in genere agant, satis tamen apparet, agi de criminibus enormioribus quibus corporis saltem pœna impingitur: omnes enim omnino leges interpretationem capiunt ex jure communi.

§. 18.

X. Haut leve quoque præsentia Rei momentum habetur, quod ex ipsius voce, vultu, habitu, aliisque indiciis, plurimum instrui Judex possit: prout illud depingitur in *l. 10. §. pen. ff. de Pœn.* his verbis: *Plurimum quoq; in excutienda veritate etiam vox ipsa, & cognitionis subtilis diligentia affert: nam & ex sermone, & quâ quis constantia, quâ trepidatione quid diceret, quædam ad inluminandam veritatem in lucem emergunt.* Ea igitur in tantis pœnis, quæ in ipsum hominis corpus statuuntur, negligere & prætermittere integrum non est.

§. XIX.

XI. Fatendum itaque omnino est, statuendo ita in absentes pœnas corporales aut sanguinis, excedi modum humanum. Magistratui enim humano à summo rerum arbitro commissum est munus exequendi jura adversus eorum transgressores, sed intra fines Facultatis humanæ. Cætera ergo, si res modum eum excedat, sibi vindicanda sibi reservavit. Functus itaque est Magistratus officio sibi divinitus commissio, si ea fecerit,

(13.)

cerit quæ suæ Potestatis sunt, cætera summum Numen curæ suæ esse voluit. Hinc Reo absente Judicis humani partes sunt, omnē adhibere operam, ut Reus sui copiam faciat, requisitionibus, edictis, citationibus &c. Quodsi igitur in potestatem redigere eum nequeat, partibus Ipse suis functus, & tuta conscientia, Deique adeo succedaneum Judicium est. Sic similiter, si propter absentiam rei convinci illa plenissime nequeat, nec tutum nec justum est, eum condemnare, satiusque dimittere. *ex d. l. §. princ. ff. de Pan.*

§. 20.

Necdices: sic impunita crimina facilè relinqui. Etenim id per judicem, si Ille in contumaciam, ita ut dictum, ritè procefferit, non stetit; Ubi ergo res excedit modum & facultatem humani judicii, reservata illa est divino. Judex humanus vices suas explevit, suis DEUS O.M. non deerit; Quod si igitur verum crimen reusque nocens est, etsi homines reus celare possit, non tamen summi Arbitri Ille frustrabitur judicium, & nec ejus fallet scientiam, nec effugiet Nemesin.

§. 21.

Qua ratione videtur, quæstiones quoque probandas non esse; nec judicem, si de crimine planè non liqueat, ad vim corpori inferendam progredi posse, sed ea re modum suum excedere: quemadmodum plurimis quoque quæstiones illæ displicent. Etenim, cum confessiones vi extortæ nec in causa civili quicquam operentur, nullumque vel in minimo præjudicium afferant, mirum videtur illas admitti in causa sanguinis humani, & cum vis omnis confessionum

B 3

arbi-

arbitrium excludat, vim tamen tam atrocem eas non vitare; sed stari confessioni fiducialis, aliaque vi atroci extorta. Et sanè nec in sacris literis, nec apud Habreos veteres, nec apud antiquissimas Gentes memoriæ traditum est; talem quæstionum usum fuisse, ut, licèt de crimine non constaret, homines tamen ex confessione sua exquisitis cruciatibus expressâ, ad mortem damnari possint, cum nec convicti, nec spontè confessi, sed per Carnificem expugnati sint, metusq; repetendæ torturæ inficiandi licentiam præcludat.

§. 22.

Cæpisse verò maximè usus quæstionum videtur à Græcis & Romanis: quanquam nec apud Romanos & jure communi promiscuè admittæ, nec remedium ordinarium veritatis in criminibus adstruendæ fuisse videantur, sed in servis, in vilibus personis, & in crimine læsæ Majestatis potissimum usus earum apparuit. *erg. L. 1. §. 1. §. 4. & seqq. l. 8. & pass. ff. de Quæstion. l. 3. l. 4. C. Ad L. Jul. Maj. l. 17. C. de Quæstion. &c.*

§. 23.

Cæterum crevit cum criminum audacia ac inficiendi impudentia quæstionum necessitas: ita ut communi gentium usu receptæ fuerint. Invalescente quippe hominum malitiâ, ac grassante scelerum licentiâ, ex adverso & pœnarum supplicia, & inquirendi remedia quoque acui & exasperari debuerunt. Neque adè improbandæ videntur quæstiones, modo cautè & intra aqutatis legumque fines coërceantur; neque Judices excogitatis novis torquendi rationibus, nefariæ potius crudelitatis suæ instrumentum, quàm veritatis explorandæ ac justitiæ exequendæ remedium

um

(15.)
um faciant. *Vid. Jul. Clar. §. fin. quæst. 64. Carpz. Pract. crim. quæst. 127. per tot. Damboud. Prax. crim. cap. 35. & seqq.*

§. 24.

Quantopere igitur ab omni humanitatis sensu, & ferè ab homine deficiunt, qui torturæ violentiâ ad fidei confessiones extorquendas, atque ad conscientiarum carnificinam abutuntur? Quod omnium longissimè ultra modum humanæ potestatis est, ac ipsa sævissimorum ecclesiæ persecutorum immanitas. Quod quibus nondum plane obtorpuit omnis conscientiæ sensus, meritò execrati sunt.

§. 25.

Hinc verò XII. confirmatur haut parum sententia, absentes ad pœnas corporales damnari non posse, cum quæstiones, quas in iis inter Gentes receptas esse vidimus, non aliter quam in præsentibus exerceri queant. Nec potest adèd tale Judicium instrui in absentem, in quo, si probatio plena deficiat, quæstionibus veritas eruenda erit, quæ fieri non possunt nisi Reo præsentem.

§. 26.

Neque his obstat, quod foemina adultera etiam absens inter Reos recipi possit. *l. 13. C. ad L. Jul. de Adult.* Aliud enim est absentem inter reos recipi, aliud damnari. Adultera absens damnari, adeoque nec defendi absens potest. *L. 15. C. eod. tit. l. ii. §. 2. ff. eod. tit.* Sed nec inter Reos recipi potest nisi iudicium contra præsentem jam ceperit. *d. l. 13. d. l. 15.* Ejus autem alii effectus sunt: ut quod inter Reos recepti alia lege simul postulari nequeant. &c. Ut adèd inde quoque novum munimentum deniq; accedat sententiæ prædictæ,

etæ, quod absens, si iudicium nondum cœperat, ne quidem inter Reos recipi, nedum damnari possit.

S. 27.

Nec magis movet, quod hodie generali consuetudine ex quovis crimine procedi etiam soleat contra absentes, quos, si edictis ritè citati non comparent, in contumaciam pro convictis haberi, banniri, & condemnari etiam ad mortem, ajunt. *Jul. Clar. S. fin. quæst. 40. n. 4 & n. 3. Sc. Wesenb. ff. de Reg. & abs. infin.* Nimis equidem temerè, & manifesto errori causam dedit vox *Banni* ambigua. Imperialis enim banni utriusque eadem formula est, *erlauben sein Leib &c. Gail. de P. P. lib. 2. cap. 6. pass. ord. Cam. 1532. tit. 2. S. 14.* Hoc bannum Imperii confundunt primum cum bannis judiciorum, quibus in contumaces proceditur; & quorum effectus saltem est, ut Reus alicubi deprehensus capi & judici offerri possit. Idque pluribus & optimè evolvit *Carpz. Pract. crim. Quæst. 140. n. 98. n. 103. n. 132. & seqq.* ubi late probat, bannitum ex contumacia occidi non posse, etsi etiam illis formulis eadem clausula comprehensa sit, *wird erlaubet sein Leib* (qua ratione bannum hoc etiam in *Ord. Crim. art. 155. Die Mordacht* ex vulgi sensu dici videtur) Id enim non eò pertinere testatur, ut vita auferri, sed ut corpore apprehendi & judici ubique offerri possit. *d. quæst. 140. n. 98.* Quin & confundi existimo bannum Imperii ex causa fractæ Pacis publicæ, & ex causa contumaciæ: etsi enim eadè utriusq; formula sit, tamen in banno saltem contumaciæ non intelligi jus necis inferendæ videtur; licet *Gail. d. lib. 2. cap. 5. n. 12. Bluhm. de Proc. Cam. cap. 29. n. 177. & Camerales* dissentiant. Vid. *Perillustr. D. Præs. de Jur. publ. cap. 32. S. 12.* Sanè in *Ord. Cam. p. 3. tit. 43. S. 3. & tit. 48. S. 5.* ubi

ubi forma executionis præscribitur, tantùm in bonâ, non in vitam potestas datur. Unde I. nec definitiva est illa banni sententia, sed interlocutoria; ut omnes faterentur. *Gail. d. l. 2. cap. 6. n. 3. Bluhm. d. c. 29. n. 182.* Nec (2.) excludit defensionem. *Carpz. d. q. 140. n. 107.* quod & docet *Ord. Crim. d. art. 155.* Nec (3.) Reus habetur pro convicto nisi præsumtivè. *Carpz. d. q. 140. n. 100. & seq.* Atque hinc Dd. qui aliud senserunt, sine dubio aliquid humani passos esse ait *Carpz. d. q. 140. n. 133.* nec quicquam verius est.

§. 28.

Ex his itaque perspicuum jam planè est, executiones in Effigie ritè & salvo jure fieri non posse absentibus reis: nec imitandos esse mores Gallorum, qui absentes etiam ad mortem condemnare dicuntur; *Jul. Clar. d. quest. 44. n. 4. Christin. ad LL. Mechlin. tit. 2. art. 25. n. 6. & seqq.* & si haberi nequeant, executionem in effigie peragunt, ut testantur *Ann. Robert. Rer. jud. lib. 1. cap. 10. vers. Huic tractatui &c.* ubi sæpius idem refert, *pag. 183. 184. & 185. Bugnyon. de LL. abr. lib. 2. cap. 196. in marg. Gudel. de Jur. noviss. lib. 5. cap. 14. §. pen.* Quæ fluxere sine dubio ex perperam accepto banni nomine; cum tamen ea vox suâ naturâ nec penam corporis nec supplicium inferat, sed relegationem vel exilium & bonorum periculum, quæ omnia in absentes statui posse, nec irreparabilia esse prædiximus.

§. 29.

Quod igitur judicium in absentes statui nequit, longè minus poterit in jam mortuos. Aded enim nullius criminis rei fieri possint qui jam mortui sunt, ut, licet vivo reo motum jam sit judicium ac cum vivo cæptum, tamen morte ipsius postea planè intercidat. *L. 1. & seqq. l. fin. C. si reus vel acc. l. 3. l. 6. ff. de Publ. del.*

C

Min-

Mindan. de Mandat. cap. 22. Etenim nihil magis hominis proprium est, quàm, ut sua cujusque actio, ita & actionis meritum, seu crimen, ac criminis pœna: quæ ad eò ad alios in fontes nò transit, nec ad heredes transmittitur: quod & D. Vates ita definit, *Ezech. 18. v. 18.* & ratio evincit, & omnia jura comprobant. *l. 22. C. de Pœn. c. 2. x. de his quæ sunt à maj.* Idque perspicuâ ratione affirmat JCTus in *l. 20. ff. de Pœn.* quia *pœna constituitur in emendationem hominum, quæ mortuo eo in quem constituitur videtur, desinit.* Quin defuncti homines unicè sub DEI, non sub humano amplius judicio ad eò sunt, ut nec locus, in quem illati sunt, in commercio amplius humano sed divin. juris intelligatur. *l. 4. ff. de Relig. l. 4. C. sep. viol.* Neque enim amplius sunt in rebus humanis, & nec in hominum potestate, nec pars humanæ societatis. Disparuerunt de scena humana, nec amplius obnoxii sunt suffragiis hominum unicè jam infallibili supremi Judicis ac æterni Numinis justissimo arbitrio judicandi. Desit ergo hominum potestas judicandi de persona defuncti, eamque damnandi; quod proinde piè & optimè jure Romano quoque ita lancitum fuit.

§. 30.

Cui autem in mentem veniret, mortuos etiam processibus in contumaciam exagitari posse? In res jam inanimes sensuque carentes, in mortuorum ossa & cadavera contumaciæ fabulam ludere? in ea, vel in animas ad aliam jam vitam translatas, unde nullus in hunc orbem reditus est, citationum edicta conscribere, & quasi in non comparentes crudelissimas sententias pœnasque decernere?

(19.)

§. 31.

Eam tamen fabulam ita actam fuisse sub sævissimo & cruento Mariæ Reginae, Philippo Hispano nuptæ, Regno pluribus, refert Thuanus, *Hist. Lib. 17. ad ann. 1556.* Etenim Martinus Bucerus & Paulus Fagius, quadriennio antè mortui, quòd vocante eos legitimo Regni Angliæ Rege, Edwardo III. ejusq; justitiis sacris Regni ordinandis & emendandis operam navassent, deinde post mortem solenniter citati, cum non comparerent, in contumaciam Processus formati, testes producti, illi condemnati, ossa eorum effossa, & in ea executio atrocissima facta est. Locum Thuanus *cap. 3.* exhibebimus.

§. 32.

Ex his omnibus igitur omnino concludendum est, judicium criminale in mortuos neququam; in absentes verò non in causa ipsa, si sanguinis aut corporis pœnam illa requirat, institui aut exerceri, adeoque nec executionem pœnæ, sive in persona sive in imagine, omnium minimè autem in cadavere & ossibus humatis fieri, neque, ubi ipsum Judicium cessat, judicii executionem intelligi posse. Videndum jam, an & quinam sint casus, quibus etiam in causa sanguinis, aut in pœnis corporalibus in absentes, aut mortuos quoque permitti illud possit.

CAPUT II.

De causis, ex quibus in absentes vel mortuos quoque ad pœnas corporales procedi potest, earumq; justitia.

C 2

SUMMA.



SUMMARIA.

- §. 1. Exemplum primum, quod in absentes pœna corporis statui jure potest, est in crimine castrationis.
- §. 2. Ejusrationes exponuntur & defenduntur.
- §. 3. Non tamen hoc casu procedi in mortuos etiam potest.
- §. 4. Causa hujus criminis cognoscitur usq; ad sententiam, ut aliàs.
- §. 5. Alterum exemplum in casu L. 21. C. de Pœn.
- §. 6. Notatur error eorum, qui usum ejus à foro recessisse tradunt.
- §. 7. Aliud exemplum videri in crimine fractæ pacis publicæ, & quat.
- §. 8. Id explicatur, eamque non esse sententiam mortis sed banni ostenditur.
- §. 9. Præcipue exemplum esse in crimine Maj. Quod distinguitur, & primum exponitur vulgare.
- §. 10. Speciale, quod perduellionis dicitur, explicatur.
- §. 11. Illustratur idem exemplis.
- §. 12. Quod nam sit crimen læsæ Maj. divinæ, & quando ad perduellionem pertineat.
- §. 13. Quid sit hæresis, & quis hæreticus? An hæresis aliquando huc referri queat.
- §. 14. In perduellionis crimine singularissimum est, quod pœna etiam in innocentes pro parte extendatur.
- §. 15. Item quod non in absentes tantum, sed & in mortuos.
- §. 16. Hujus rigoris causa explicatur, & expenditur.
- §. 17. Penarum perduellionis 4. præcipua capita.
- §. 18. Ea omnia, excepto primo, etiam in absentes & mortuos re peragi, non personata executione sed vera.
- §. 19. Damnatio memoriæ quid sit, & quid ab infamia differat.
- §. 20. De vero intellectu l. 3. C. de Accus. contra quosdam Dd.

§. I. Exem-

Exemplum, quo speciali lege permissum est in absentes ex causa capitali poenam statuere, est in *l. 4. §. fin. l. 5. ff. Ad L. Corn. de sicar.* Quo ex ipsa lege Cornelia de Sicariis animadvertitur in eos qui spadones faciunt, veluti in Sicarios, & specialiter unâ cavetur, etiam *in absentes, tanquam lege Corneliâ teneantur, pronunciandum esse.*

In hac verò specie plura sunt, quæ hujus constitutionis in absentes æquitatem tuentur & commendant. Præterquam enim, quod, si à Sodomia discesseris, nullum fœdus facinus excogitari possit; certetq; illud sceleris magnitudine cum ipso homicidio, fœditate etiam præponderet; nec atrocius videatur, hominem morte affici, quam viventi virilitatem eripi; in primis perpendendum est, hujus criminis fidem magis ab inspectionis evidentia, quàm ab examine rei peti: variis enim modis homines mori possunt, neque alter præ altero autor mortis videri; & difficillima aded est in crimen & autorem inquisitio. At hoc genus criminis est inter castratum & Medicum, qui spadonem fecit. *d. l. 4. in fin.* In illo igitur si res, quæ lege publica prohibita est, ipsâ facti evidentia appareat, vix quæstio cum Medico superest; cum & de crimine ex ipsa inspectione plenissimè constare possit, neque ea opera sit, quæ promiscuè, sed quæ à perito saltem fieri possit & soleat, ille quoque latere facile non poterit. Unde, cum ita comparatum sit hoc crimen, ut haut difficulter explorari evinciq; queat; aded verò res sit exitu fœda, & exemplum pessima, ut cognitionem non differri inter sit, vi-

sum fuit, nec immeritò, in absentes quoque procedi posse.

§. 3.

Et si verò absentia cognitionem eam non moveret, at in mortuos tamen moveri hoc iudicium non posse manifestum est. Cum enim omnia crimina morte extinguantur, *sup. cap. 1. §. ejus certa ac naturalis ratio sit, standum sine dubio & hic erit isti regulæ, cum nullibi hoc crimen inde excipitur, sed e contrario id solum cautum sit, ut in absentes, non etiam ut in mortuos permitteretur iudicium.*

§. 4.

Hinc citationes absentium in primis fieri necesse est, & admitti procuratorem etiam in causa principali; *arg. l. 33. §. 2. ff. de Procurat.* secus ac in aliis causis, quæ pœnis corporalibus defensæ sunt. Sed & cætera omnia quæ ad defensionem necessaria videntur, absentibus permittenda sunt, atque ita causâ cognitâ ad pronunciationem deveniendum est, prout hucusque id *d. l. 4. §. fin.* definitum est. Quod si ergo Reus præsens & in potestate non sit, differenda erit executio causæ principalis in eventum, quoad redigi in potestatem Reus possit.

§. 5.

Alterum exemplum est in *l. 21. C. de Pœn.* ubi de Apparitoribus, aliisque Magistratuum & Iudicum Ministris, si in officio commiserint, statuitur, ut in absentes quoque peragi iudicium queat. Equidem, specialiter de pœnis corporalibus nihil ibi dicitur; neque in apparitorum delicta pœna corporis afflictiva illicò decernitur. Verùm cum tamen non excludantur tales pœnæ, & indefinitè textus loquatur, hic quo-

quoque casus vulgò inter exceptos refertur. *Barth.*
in d. l. 4. §. f.

§. 6.

Quærent verò, an hæc constitutio hodie obtineat? Quod quidam negant; & ajunt, hodie eam non observari, nisi semel saltem citentur. *Nic. Boër. dec. 9. n. 10. & seqq.* Illi verò sensum legis perperam omnino intellexisse videntur: non enim eâ exclusæ sunt citationes absentium, neque permissum ut in non citatos, non auditos, non defensos, sed tantum ut in absentes procedi possit: quæ res causæ cognitionem non excludit. Itaque, non una saltem, sed tot citationes fieri debent quot alias contra absentes jura requirunt.

§. 7.

Tertium exemplum videtur esse in crimine fractæ pacis publicæ. Caterùm non ea hujus criminis ratio est, ut Judex absentem in pœnam mortis vel corporalem damnare possit. Sed, cum ad pœnam banni Imperialis procedere possit, und in die Reichs-
 Acht erflähret werden / ejus formulâ ex veteri rigore comprehensum creditur, ut à quolibet impunè interfici queat, quasi cui aquâ & igni interdictû sit. Nam talis est carminis hujus tenor, daß ihr Leib und Guth erlaubt seyn / und niemands daran freveln oder verhan-
 deln soll oder mag. *Räyssel. Landfr. 1548. tit. 3. §. 1.* Atque adeò jus necis cuilibet in bannitum, ex vulgari Camera Imperialis formulâ, intelligi concessum statuunt. *Gail. de P. P. lib. 12. cap. 5. n. 12. cap. 6. Bluhm. de Proc. Cam. tit. 29. n. 182.*

§. 8.

Equidem plurima singularia in hoc crimine constituta fuere, ut inveteratum istud pugnarum
 priva-

privatarum studium, (Saufrecht) & depradatione-
 nensillæ, quibus adeo infestabantur membra Imperii,
 terrore talis banni & proscriptionis abolerentur.
 Non igitur ea sententia Mortis fuit, sed banni; & hoc
 quoq; casu magis intelligi in contumaciam videtur, si
 fractæ pacis Reus legitimè citatus non comparuerit.
 Landfr. 1548. d. iii. 3. §. 1. Equidem integræ adhuc
 sunt transactiones, alique effectus, qui non satis
 cōgruunt damnato ad mortem: & vix est, ut ex vul-
 gari illâ banni formulâ jus necis cuilibet in Reum
 tribui, moribus & observatiōni temporum conve-
 niat. De quo nunc locus agendi non est.

§. 9.

Potissimum verò exemplum est in crimine læsæ
 Maj. quod Perduellionis nomine venit. Duplex e-
 nim est crimen: vulgare, & speciale seu perduel-
 lio: Illud est quo omnis injuria Majestati illata læsæ
 Maj. crimen dicitur, quia Majestas injuriam passa
 atque adeo per eam læsa est. Uti si quid in statuas
 vel imagines Principis commissum: l. 6. l. 7. §. fin. ff.
 Ad L. Jul. Maj. Si per nomen vel genium ejus con-
 sultò quis pejeraverit: l. 13. §. fin. ff. de Jurejur. junct.
 l. 2. C. Ad L. Jul. Maj. Si confugientes ad statuas Princi-
 pum violaverit: l. un. C. De his qui ad stat. conf. l. 1. C. de
 stat. & imag. l. 1. §. 1. ff. de Off. Præf. Urb. arg. §. fin. De
 his qui sui vel al. Quin & qui verbis injuriam Princi-
 pì intulit, & qui contra constitutiones Principis
 pronuntiavit, læsit Maj; at his casibus noluerunt
 Pii & Generosi Imp. crimen intentari. l. un. C. Si
 quis Imp. Maled. l. 1. C. Ad L. Jul. Maj. In cæteris ve-
 rò speciebus pœna arbitraria est, quæ tamen pro re
 nata ad mortem extendi potest, at in absentes vel
 mor-

(25.)

mortuos non proceditur *l. ult. in fin. ff. Ad L. Jul. Maj.*
Atque hæc species, vel ejus magis nomen, capisle
videtur sub Tiber. atque de ea loqui *Tac. Ann. l. i. c. 72.*
jure verò nil mea singulare est.

§. 10.

Altera autem species est crimen perduellionis,
& est crimen, quo quis animo hostili & odio publi-
co aliquid in Principem, seu Rempubl. ejusque mem-
bra quæ talia, quid committit. *d. l. fin.* Hujus igitur
criminis formam constituit animus & machinatio
hostilis, quæ quis animo lædendi remp. vel ejus
Principem, quid facit: id enim re ipsa hostile est: hostiū
enim est offendere remp. civium defendere: Unde &
perduellis dicitur, id est hostis. *l. 234. ff. de Verb. sign. &*
perduellio quasi pertinax bellum, ut ex Festo refert
Wisensb. ad d. l. 24.

§. 11.

Quale est, cùm quis adversus Remp. insurgit,
hostem ei concitat, hostem juvat, ad hostem deficit,
cum hoste colludit, ei exercitum, urbem, ci-
vem, consilia prodit, aut aliud quid, non odio privato,
sed publico, etsi in privatos committit, prout exemplis
pluribus id exponitur in *l. 1. l. 3. l. 4. ff. ad L. Jul. Maj.*
Unde, si quis civem occidit, privatum est homici-
dium, non perduellio, si iratus civi & odio ejus pri-
vato concitatus fecerit; at si odio reip: planè erit
perduellionis crimen, etsi non occiderit, sed vivum
hosti tradiderit. *per l. 3. princ. ff. eod. tit.*

§. 12.

Huc quoque refertur crimen læsæ Maj. divi-
næ; nec inmeritò, si forma ac rationes criminis
conveniant; scil. si malè in divinam Maj. animatus
quid patraverit; uti si DEO renunciaret, atque dia-
bolo, DEI hosti, se dedat; quod Veneficæ quadam
D face-

facere solent; si consulto & sciens blasphemias in DEUM evomat; idque agat, ut cultum DEI omnipotentis destruat, aut de summi Numinis existentiam ac providentiam opinionem hominibus eripiat. Talia qui machinatur, atque ita ostendit, se hostiliter in Divinam Maj. animatum esse, incidit planè in crimen perduellionis. Non verò, qui calore iracundiam, disputandi fervore, inconsulto, & non hostili quodam animo aliquid, quod blasphemum est, evomit: qui animus formam & gravitatem hujus criminis efficit. *d. l. fn.*

§. 13.

Omnium minimè igitur nuda hæresis referri huc potest; quæ per se nec crimen est, sed opinio: neque intelligitur hæreticus, nisi qui à judicio Ecclesiæ Catholicæ disfidet; *per l. 2. §. fn. C. de Hæret.* Hoc verò universæ seu Catholicæ ecclesiæ judicium extat in ejusdem Conciliis, quæ sunt 4. priora; *l. 9. §. 3. l. 7. §. 4. vers. Hanc alia. C. de SS. Trinit. Nov. 115. c. 3. §. 14. c. 1. c. 2. pr. dist. 15.* illa enim sola fuere universæ seu Catholicæ ecclesiæ concilia, adeoque verè catholica. *Perill. Dn. Præf. Diss. de Jur. circa Hæret. §. 5. & seqq.* Si quædam Ecclesiæ inter se disident, partes illæ sunt, nec pars parti judicium obtrudere potest; cum quæq; pars sui studio ducatur, inprimis illa quæ de commodis ac lucris certat. Quod si verò hæresis crimen conjunctum sit, ejus criminis, si tales, ut jam diximus blasphemiam in divinam Majestatem commissæ sint, perduellionis pœna erit. *d. Diss. §. 32. & seqq.*

§. 14.

Hujus criminis perduellionis tantus inter gentes metus, tantumque periculum visum fuit, ut ei exar-

(27.)

exarmando quicquid machinarum mutuique terro-
ris inveniri potuit, oppositum fuerit. Nec im-
merito. Non enim tantum periculi ab extraneo ho-
ste impendet, ac ab eo qui intus alitur, & in ipsis vi-
sceribus nostris quasi pascitur. Unde pleraque gen-
tium non tantum in autorem sceleris, sed in totam
ejus familiam suppliciiis savierunt. Exemplum Han-
nonis Pœni, una cum ratione tantæ acerbitalis, com-
pendio refert Just. lib. 21. cap. 4. in fin. his verbis: *Fili-
quoque, cognatique omnes, etiam innoxii, supplicio tradun-
tur: ne quisquam aut ad imitandum scelus, aut ad mortem,
ulciscendam, ex tam nefaria domo superesset.* Talē quoq; Ma-
cedonum legem refert Curt. lib. 6. c. 11. & lib. 8. c. 6. in fin. &c.

§. 15.

In hoc verò crimine id singularissimum est,
quòd inde judicium post mortem rei quoque inchoa-
ri possit: *per l. fin. ff. Ad L. Jul. Maj. l. 1. §. 3. ff. de suis
& leg. l. 31. §. fin. ff. de Donat. l. 86. §. 1. ff. de Adq. her.
l. 6. fin. C. Ad L. Jul. Maj. §. 3. de Publ. jud.* Minus igitur
dubiū est, etiā in absentes judiciū hoc Majest. intentari
posse, cum & in mortuos possit; idque speciali con-
stitutione, *Ad reprimendum.* expresit Henricus VII.
Imp. quæ sub finem Corporis Juris adjecta est, & in
quam Barth. commentatus est.

§. 16.

Nec ratio in obscuro est, cum agatur de fulcien-
da nutantis ac sub potentium insidiis ac machinatio-
nibus periclitantis Reip. Hujus necessitatibus cedunt
& postponuntur omnes privatorum rationes: eadem-
que sollicitudo & cautela reip. quæ leges Majestatis
armavit in filios innoxios, & alicubi in omnes cogna-
tos, *sup. §. 14.* easdem quoque instruxit adversus
mor-

D 2

(28.)

mortuos & absentes; aliaque in reip: praesidium singularissimè constituit, quæ remoto ejus metu ac periculo, plena injuriarum ac truculentiae viderentur.

§. 17.

Pœna verò præcipua, quibus lex Majestatis munita est adversus perduelles, ad 4. capita referri possunt. (1.) Capitalis & principalis pœna in ipsum perduellem constituta, scil. ultimum supplicium, cujus genus variat *l. 5. pr. C. ad L. Jul. Maj. Ord. Crim. art. 124.* (2) Confiscatio bonorum, quæ & hodie recepta est. *d. l. 5. pr. Ord. Cam. art. 218. in fin.* (3.) Filiorum exilium, infamia, & successioum privatio; quòd horum periculo magis terri Parentes soleant quàm suo. *d. l. 5. §. 1. inf. c. 3. §. 11.* (4.) Damnatio memoriae. *l. 6. l. fin. C. eod. tit.*

§. 18.

Horum omnium capitum, (excepto primo) executio verè & reapse fit etiam perduelle mortuo vel absente, perinde ac vivo & presente. In his igitur nihil simulati vel imaginarii est, sed pœna executio realis; nec pertinet illa ad personam illam executionem, quæ moribus invaluit, & in effigie feri dicitur, sed ad veram, quæ jure constituta est, de quo *cap. 3.*

§. 19.

Damnatio verò memoriae aliud quid est, quam infamia, & multò latius patet. Pœna enim infamiae in futurum tantum operatur, ne quis in posterum admitti ad honores aut dignitates possit: at damnatio memoriae omnia honorum & dignitatum, quas gessit, vestigia abolet, & in præteritum memoriam eorum delet. Quicquid igitur occurrit, quod ad perduellis

lis laudem, honorem, decus, famam aut memoriam, factum, scriptum, compositumve fuerit, extinguitur, insignia franguntur, nomen ex albis aufertur, statua, imagines, monumenta &c destruantur; ipsa domus diruitur, atq; in universū id agitur, ut ejus hominis gestorumq; honestam recordationem perpetua oblivio sepe- liat; quæ fines infamiæ longè superant. Aliquan- do & solum sale conspergi, & statua facinoris men- tio & execratio inscribi, quin & aliæ atrocitates ex- cogitari atque in cumulum solent addi. Exquisitis- sima damnationis memoriæ formula, quâ Athenien- ses Philippum Macedonem execrati sunt, ejusque me- mōriam damnarunt, extat apud *Liv. 31. cap. 44.* Cæte- rum hæc omnia Pœnæ perduellium capita ad amussim, ita exacta fuere in Dania anno 1663, d. 24. Jul. in causa Cornificii Comitissæ ab Ulefeld, vivi & absentis: quæ sen- tentia extat in *Theatro Europ. tom. 9. ad ann. 1663. fol. 1002.* & indignissimè in Gallia in causa Illustrissimæ Herois Colnii, jam antè occisi: cujus sententiæ capita refert *Thuan. Hist. lib. 55. in med. ad ann. 1572.*

§. 20.

Deniq; quæ de absentibus hætenus tradita sunt, scrupulum indè faciunt, quòd in genere judicium criminale in absentes quoque peragi & per procura- torem defendi permittitur in *l. 3. C. de Accusat.* Equi- dem eum textum non de regula sed exceptionibus loqui, largiuntur Dd. propter tot jura evidentia, quibus contrarium asferitur; sed quærunt, utrum de casi- bus illis specialibus, quibus ad pœnas corporales da- mnari absentes in causa ipsa posse hoc cap. 2. dixi- mus & ostendimus, textus iste agat, an verò de iis causis, quæ expositæ sunt, *cap. 1. §. & seqq.* Prius vult

(30.)

Dn. Brunn. ad d. l. 3. & ad l. 11. n. 3. & seqq. ff. Ad L. Jul. de Adult. & latissimè Hill. ad Don. lib. 18. cap. 10. lit. E. qui d. l. 3. restringunt ad casum l. 4. in fin. ff. Ad L. Corn. de Sic. & L. 21. C. de Pœn. & eodem referunt l. 33. §. 2. ff. de Procur. Verùm nulla ratio patitur, legem generaliter loquentem restringi ad unum alterumve casum adeo singularem, ut nullus magis. Unde & meritò id rejicit *Carpz. Pract. crim. quæst. 105. n. 29. & multis seqq.* Dicendum omnino est, inprimis d. l. 3. generaliter intelligendam de omnibus casibus, quibus criminali judicio in absentes procedi potest; qui tam latè patent ut quodammodo regulam generalem constituere possint, juxta d. l. 3. Nam in absentes, & procuratore interveniente, procedi potest cum in omnibus criminibus, quorù pœna nō est capitalis vel corporis afflictiva, tum in omnibus aliis quoad causam contumaciæ, & præterea in prædictis speciebus etiam quoad principalem. Unde suo sensu regula fieri potest: in criminibus quoque adversus absentes procedi, & procuratorem admitti posse; juxta d. l. 3. exceptis pœnis corporis afflictivis, nisi & illæ specialiter exemptæ sint. *Carpz. Pract. Crim. quæst. 105.* ubi per totam quæst. luculenter exponit casus, quibus procurator intervenire in criminibus à parte rei possit; de quo actum *cap. 1. §. 10. & seqq.* Et hætenus de jure exequendi crimina in absentes & mortuos.

CAPUT III.

De Justitia executionis in effigie.

SUMMA-

SUMMARIA.

- §. 1. Descriptio executionis in effigie.
- §. 2. Qualitas effigiei manufactæ, quæ in absentes necessaria est.
- §. 3. Quo sensu cadaver mortui effigies haberi queat.
- §. 4. De executione in nomen.
- §. 5. Executionis in effigie quaestionem tantum esse posse in criminibus corporis afflictivis, quæ in absentes quoque vindicari possunt; & cur non in aliis?
- §. 6. In illis omnibus executionem jure posse in effigie fieri, sed non solere nec debere.
- §. 7. Cur hæ executiones non debeant fieri in alio quam perduellionis crimine?
- §. 8. Ratio ejus pluribus expenditur & illustratur.
- §. 9. Eadem distinctio erit, si reus damnatus ante executionem aufugerit.
- §. 10. Solum supplicium fieri in effigie, reliquas penas omnes & veras & reales esse, etiam Reus mortuis.
- §. 11. Quantum ad penam hanc momenti inde sit, quod pars ejus in liberos quoque redundet.
- §. 12. Quæ executio damnata memoriæ fit in statuas, effigies &c. eam non esse in effigie, sed veram ac realem ut reis presentibus.
- §. 13. Supplicii executio in effigie eadem specie fit, quæ in presentem fieri deberet.
- §. 14. Non excludit illa veram executionem, si ea deinde sequi possit: nec defensionem.
- §. 15. Quis iudex in hac causa?
- §. 16. Quis Processus?
- §. 17. De hujus executionis abusibus: cum non iustitia sed injuriæ & plus quam belluine immanitatis sæpius fiat executio.
- §. 18. de executione summi viri & Herois, Colimii, magni Galliarum Amiralii.
- §. 19. De executione insana & impia Mart. Bucerii & P. Fagii, & uxoris P. Martyris.
- §. 20. Effectus & Conclusio.

EXhaēt. tractatis in proclivi jam est statuere, quando executio in effigie salvâ ratione juris fieri possit. Comodè autè executio in effigie describitur, quòd sit *executio imaginaria & subsidiaria pœnæ, quæ cum in reum ipsum propter ejus absentiam vel mortem fieri nequeat, in ejus imagine vel in eo quòd Ipsum quocunque modo refert, præsentatur.* Etenim, cum executio illa non tantùm in imagine arte facta, sed & aliis modis fieri soleat, ut mox dicetur, ita describenda est, ut univèrsam executionis hujus personam expleat.

§. 2.

Primùm itaque effigies manu vel arte facta esse potest, in qua executionis fabula peragitur. Et parum interest qualis illa sit, modò appareat, rei personam eâ exhiberi; nec ex qua materia fuerit, modò apta sit, ut pœnam, quæ in Reum decreta fuit, recipere queat. Atque hæc ratio exequendi unica est in causis absentium: equidem in mortuos quoq; tali effigie executio fieri potest; sed in absentes non aliter.

§. 3.

Alia deindè at longè tristior ac dira prorsus imago est ipsum Rei cadaver, quod jam communi humanitatis jure ac officio terræ mandatum, rebusq; humanis exemptum, reducitur in mortalium scenam, unde Natura jam evocatum abstulerat, alteriusque juris fecerat. Fuit illud non hominis imago, sed homo; non totus, sed ea pars cui pœna inferenda erat. Sed imago Rei videtur, quia in conspectum publicum producitur, ut Reum exhibeat; denique hominis, qui fuit, figura. Certè executio non vera sed ima-

imaginaria est; nec in re sensu carente pœna, sed pœnæ effigies.

§. 4.

Potest & tertia imaginis humanæ species videri, hominis nomen, quod hominem significat & exprimit: uti enim verba & voces sunt rerum picturæ & imagines, quibus quasi coloribus eas cognoscimus & veluti inspiciamus; ita nomina hominum. Neque aded desunt hujus quoque generis executiones, ut & reliquis tantò sint frequentiores quanto minoris momenti, uti quando nomen delinquentis furcæ &c. in pœnam affigitur. Sed cum hoc in levioribus quoque delictis, & tantum infamiæ causa fieri soleat, hujus illa loci non sunt.

§. 5.

De reliquis igitur executionibus in effigie si quaratur, quousque salva juris ratione probari queant, primum omnium jam liquet, quæstionem tantum esse posse de exceptis illis criminibus, de quibus *cap. 2.* actum est, scil. quæ, etsi pœnam corporalem inferant, tamen & in absentes explicari possunt. Etenim de reliquis ambigi nequit. Aut enim pœnæ corporales sunt, & in absentes earum judicium esse nequit, adeoque nec executio, ut demonstratum est *cap. 1.* aut non sunt corporales, & earum executio vera & realis fit in absentes, nec imagini locus est.

§. 6.

De exceptis itaque criminibus, quæ in absentes quoque statuuntur, duplex quæstio est; (1.) An jure executio in effigie fieri possit? (2.) An soleat vel expediat? Quin possit fieri, nulla juris obstat ratio.

E

Cum

Cum enim vera pœnæ executio in ipsum corpus hominis, quod longè gravius est, fieri possit, quàm minus in hominis effigiem, At rectius tamen in iis, quæ cladem Reipubl. non inferunt, apparatus illi parçitur: isque soli reservatur crimini, ex quo metuitur aded reipub. scil. perduellioni.

§. 7.

Etenim in hoc maximè judicio eminet inter omnia singularis illa detestatio hujus criminis, eo quod tam singulari ac solenni severitate illud vindicetur; quod tot peculiaria atrocitatis genera, tot terrorum machinæ ei coërcendo inventæ; & tanta tamque inevitabilis pœnæ necessitas ei imposita sit, ut, si in persona fieri non possit, potius quam ut inulta aut neglecta videatur, solenni apparatu in effigie eam expediri oporteat; Quorum omnium frigesceret species & significatio, si communicaretur cum levioribus criminibus; neque huic præ cæteris proprium ac præcipuum id esset. Quæcunque igitur terriculamentorum imagines afferantur, nulla tamen re terrificus ille pœnæ conspectus vultusque aut latius horrore sentum spargit, aut magis acuit, quàm cogitatione, illum vindictæ apparatus in nullo alio crimine, sed in hoc solo, quo reip. ejusque securitati prospicitur, exhiberi.

§. 8.

Igitur cessat meritò illa executio in casu l. 4. §. *fn. ff. Ad L. Jul. de sicar.* & multò magis in specie l. 21. C. *de Pœnis!*: & hinc maximè omnium in iis, quorum ne capitis quidem pœna est. In his enim sufficiens causa non est, cur quis ab ordinaria via exequendi discedendum, nec potius è contrario cavendum putet, ne tales pœnarum adumbrationes, si nimium frequen-

quententur & vulgentur, ipsâ frequentiâ ac videndi aduetudine evilescerent, ac in ludicrum jocumque verterent. Omnis enim hæc scena ad terrorem audacia, & securitatem reip. composita, non alia re magis aut illam frangit, aut huic proficit, quàm si subeat, hos ritus solenne & quasi sacrum aliquid Reip. esse, quo omnium securitati litatur: si occurrat, rem tam singularem unicè in odium perduellionis fieri, illiusque causâ ubi vindictæ facultas cessat, ejus vice pœnæ personam imponi, & quasi frontem quandam omni severitudine caperatam, atque in terrorem corrugatam publicè exhiberi, ut quod pœnæ sensu expleri non potest, quasi torvitate vultus exprimatur. Quodsi verò eadem pœnæ imago aliis quoque & vulgaribus criminibus, gravibus quidem illis, at non in reip. exitium hostiliter erumpentibus, affingatur, frontem hanc vel plurimum remittet, vel penitus effundet ac perdet. Atque ad eam ita vulgatâ, vel hebetabit severitatis aciem promiscui usus frequentia, vel exarmabit videndi consuetudo. Tunc igitur sua spectaculo constabit ratio, & sua subsidiario telo acies, si soli reip. adversus perduelles suos conservetur; quo neglecto, parum aberit, quin tota scena deridiculo futura sit.

§. 9.

Unde sequitur, & si reus præsens convictus condemnatusque sit, sed executionem sententiæ fugâ praverterit, in crimine Majestatis quidem in effigie eam faciendam esse; in reliquis verò criminibus non item. Etsi enim reus ita ipse auditus, satisque convictus, atque inde & ritè damnatus fuerit, neque aded ista ratio, & quæ *cap. I.* allegata sunt, impediunt executionem.

E 2

cutio

(36.)

entionem; at impedit ratio modò adducta, §. 7. §. eamque in alio crimine quàm perduellionis fieri in effigie non posse probat.

§. 10.

Hinc verò jam constabit, non omnem hanc pœnam fabulam esse, sed magna sui parte rem ipsam. Etenim in crimen perduellionis non modò supplicium statutum, sed & aliæ pœnarum atrocitates cumulatae sunt, quæ reis quoque absentibus vel mortuis, non imaginaria, sed reali executione infligi possunt, eademque sunt, quæ etiam in præsentibus statuuntur: ut hætenus nihil intersit, præsentibus sint an absentes. Cum igitur *sup. cap. 2. §. 17.* pœnarum perduellionis genera ad 4. capita reducta sint, primum solum, scil. supplicium, non nisi effigie fit, reliqua omnia verè. Verè itaque ea primum fit in bona, quæ omnia confiscantur.

§. 11.

Verè deinde fit executio in liberos, ut sunt exitium, infamia, aliæq; privationes jurium. Quod omnium acerbissimum plerumq; reis accidit, si scelere suo se liberis innocentibus exitio fuisse sentiunt, quibus tuendis ac promovendis natura Parentes condidit, & tenerrimo in eos affectu, studio, votoque animavit. Refert Thuanus, *Hist. lib. 53. ad ann. 1072.* Bricomotium septuagenarium, Parisiis Majestatis damnatum, omnia sententiæ capita *patienter audivisse, sed ad mentionem liberorum expavisse & exclamasse, equid illi commeruissent, cur tam severè cum illis ageretur.*

§. 12.

Verè quoque fit in dignitates, famam, omnemque ad eam memoriam; nec imaginariâ executio est, quan-

quando statua diruntur; nec in effigie fit, quando effigies dejecta prostrataq; conculcantur, & insignia fraguntur &c. sed verè; & quicquid damnata memoria extingvenda causa fit, vera executio est: quæ eadem reo quoque vivo ac præsentem fit; eo verò mortuo, quoad Personam ejus, sola ipsius memoria superest, quæ verè damnari possit.

§. 13.

Solum igitur supplicium effigiatum est, cujus cum varii modi sint, id agitur ut in effigiem vel in cadaver executio eadem supplicii specie peragatur, quæ in reum vivum ac præsentem fieri oportuit. Si ergo poena gladii fuerit, quæ jure communi statuta est, *l. 5. in fin. pr. c. Ad L. Jul. Maj.* idem in effigie exercitur: moribus autem plerumque exasperari poena solet. Aliquando enim decernitur dissectio corporis in quatuor partes: uti utraque poena conjuncta fuit in Cornificii Ulfeldii executione in effigie ejus facta; nam & caput & dextra amputata, & reliquum corpus in partes discerptum est; uti & ex sententia tum edita, & ex Theatro Eur. apparet; *loc. sup. ad cap. 2. §. 19. allegato.* Aliquando suspensio, quomodo effigies quoque seu cadaver patibulo suffigitur; ut factum est in Anglia, Anno 1661; quo Oliverii Cromwellii Tyranni cadaver patibulo suffixum, deinde capite truncatum, ac sub patibulo sepultum; eademque Executio tum in duobus aliis una facta fuit. *Theatr. Europ. tom. 9. ad ann. 1661. fol. 386.* Quod idem, etsi indignissimè, decretum fuit in Illustrissimo Heroë Colinio, apud *Thuan. lib. Hist. lib. 53. ad ann. 1572.* de quo deinceps. Aliquando poena ignis dictatur, uti frequentius in crimine Maj. ecclesiastica: in illum ergo

tum effigies quoque vel cadaver defuncti conjicitur :
 uti factum est in Helvetia, in cadavere Davidis Geor-
 gii, Hæresiarchæ & fanatici infamis, qui se Mesi-
 am & Spiritum S. &c. summa insaniâ mentitus fuerat.
 Ejus itaque cadaver Basileæ per Carnificem effossum
 atq; unâ cum libris combustum est. *Georg. Horn. Hist.
 eccles. period. 3. art. 38. pag. 497. Thuan. Hist. lib. 22. ad ann.
 1559.* Qualis & executio Londini, sed impiissimè, facta
 fuit effossis Bucero & Fagio : de quibus deinceps.
 Quoties itaq; reus factò ostendit, se hostiliter in Divi-
 nam Maj. animatum esse, incidit planè in crimen per-
 duellionis : non verò, qui calore iracundiæ, dispu-
 tandi fervore, inconsulto, & non hostili quodam
 animo aliquid, quod blasphemum est, evomit : qui ani-
 mus formam & gravitatem hujus criminis distinguit.
d. l. fin.

§. 14.

Etsi autem executio ita in imagine peracta sit,
 non tamen ea excludit deinde veram, si forte reus in
 potestatem redactus fuerit. Cùm enim executio
 hæc tantùm imaginaria & subsidiaria sit, ejusque um-
 bra saltem, quæ corpus ipsum executionis non extin-
 guit; verumque omnino sit, reum pœnam lege ipsi
 debitam, ac sententiâ injunctam, nondum sustinuisse,
 sequitur, eam sustinendam adhuc esse; quia obligatio
 pœnæ ex lege & sententiâ debitæ non tollitur, nisi
 tota illa exsoluta fuerit. Unde & hoc sequitur, nec
 exclusam esse eo casu rei defensionem, quæ semper
 ei usque ad mortem salva est. *l. 6. ff. de Appell.* Si igitur
 reo præsentî & plenissimè audito, etiam invito, in ipsa
 executione mortis integra semper est defensionis co-
 pia, *d. l. 6.* nedum ei, qui absens & non nisi per procura-
 torem auditus fuit.

Judicium vero Maj. *ἀνέσως* summæ potestatis est, cum non sit causa injuriæ privatæ, sed universæ reip. Hinc Cicero, cum C. Rabirium perduellionis reum defenderet, orationem ad populum habuit, & causam eam populi manibus suffragiisque permitti memorat. *Cic. orat. 18.* Sub Tiberio & c. causæ hæc actæ sunt in senatu, ipso Cæsare præsentente: *Tac. Ann. lib. 1. cap. 73. & 74.* sæpe etiam per judices specialiter in id constitutos & delegatos. Hi cum reos damnant, omnes alii effectus ipsa legis potestate & autoritate sequuntur. Non verò coram Præfecto urbi actæ sunt, cujus aliàs in urbe fuit Imperium merum. Hodie itaq; Statuum Imperii Judicium est, non vi Imperii meri, sed juris territorii. Nec Imperio mero competit, nisi fortè ex formula concessionis aliud appareat; quæ & aliàs vel plenior vel angustior fuit, uti in provinciis Imperio mero non cohærebat jus deportandi; secus ac in urbe. *l. 1. §. 3. §. 4. ff. de Legat. 3. l. 2. §. 1. ff. de Pæn. l. 6. §. 1. ff. de Int. rd. & rel.* Omnium minimè itaque ipsa in effigie executio, quippe lege non constituta, sed extra ordinem faciendâ, decerni poterit injussu Principis.

§. 16.

Causæ cognitio etiam in re, quæ notoria dicitur, omnino est necessaria; & tantò magis, quanto majoris causa præjudicii est. Neque intelligi notorium, ut vulgò loquuntur, potest, parte non audita: ut *cap. 1.* latè demonstratum est. Id saltem specialiter receptum est, ut, cum securitatis publicæ causâ statutum sit, hic etiam absentem damnandum esse, cujus rationes expositæ sunt *cap. 2.* consequens est, eundem etiam per procuratorem saltem audiendum esse. *d. c. 1.*

per

per tot. Nec aduersari videtur, quod Tyrannos inuaforesque trucidatos esse refertur ac laudatur. Etenim, tum iudicio non agitur, aut agi potest, sed alia ratione res nititur, nempe iure defensionis naturalis contra vim, ubi iudicis copia non est. Aduersus Tyrannos itaque & qui remp. actu inuadunt, defensio omnino à natura concessa est; etiam occiso inuafore: §. 2. *de Injur.* quod igitur ex alio capite manat. l. 3. ff. *de Iust. & Jur.* §. l. 1. §. *Vim vi* 27. ff. *de Vi & vi arm.*

§. 17.

His igitur finibus executionis in effigie neglectis, si vel causa nulla, vel non iusta ac idonea, vel non ritè cognita fuerit, non potest, quin, quod praesidium publica securitatis constitutum est, in execrandam summæ impietatis ac immanitatis machinam degeneret, maximè in ea specie, quâ in cadauer & ossa defuncti atque in sepulcra sævitur, quæ semper & ubiq; sacra & inuolabilia, nihilq; gentibus detestabilius visum fuit, quam ea profanari ac contaminari contumeliosè ac iniuriis. Ita non iuris, sed iniuriæ, odii, inuidiæ, calumniæ, omnisque denique sævitix & crudelitatis sit executio; & clavus ille, qui quasi sistendi furoris causâ fixus est, *vid. Liv. lib. 7. cap. 3. & l. 8. cap. 18.* ipse in omnem furoris licentiam laxatur.

§. 18.

In executione Casparis Colinii, Magni Franciæ Amiralii, ex relatione Thuani certum est, nullius eum criminis convictum fuisse; certum, eum nunquam auditum fuisse, quod utrumque patet ex eodem Thuan. *lib. 52. & lib. 53 princ.* certum quoq; causam hanc fuisse: Edicto Regio jurato data Protestantibus fuit securitas conscientiarum; id hostes rumpi volebant perjurio ac perfidiâ; obnitebatur Amirallius, idque

idque Regali dignitati, fidei, atque religioni adversari contendeat. Inde, cum ex insidiis ille à nefario parricida & asfaffino æreis glandibus è fenestra Canonici trajectus decumberet, Regisque colloquium peteret, & impetraret; ipse, jam propè in agone, Regi coram id magno animo profitetur; quemadmodum Autor Anonymus *vite Colini*, editus An. 1575. eum his verbis Regem compellasse refert: pag. 198.

Here, tria sunt de quibus apud Maj. Tuam agere cupiebam. Primum est, de mea erga dignitatem Tuam fide atq; observantia. Ita Deus mihi placatus & propitiuss esse velit, ad cuius tribunal me propediem fortassis hic casus sistet, ut Majestatis ac dignitatis tuæ semper fui studiosissimus. Nec vero sum nescius, quam sepe malevoli me apud Maj. Tuam calumniati sunt, & tanq. Regni perturbatorem criminati. Sed res ipsa, Dei beneficio, satis vel me tacente declaravit, harum calumniarum causam unam hanc fuisse, quod illorum furori ac audacie obstiterim, NB. NB. edictorumque Tuorum auctoritatem adversus turbulentos & violentos illorum conatus defenderim, neque ferre potuerim, ut fidem, quam NB. toties interposito jurejur. tuis subjectis dederas, violarent. Hujus mei animi Deus optimus testis est, qui hanc inter me & meos inimicos causam cognoscet, ac pro sua justitia disceptabit. Hoc illud crimen est, cujus causâ ille, cum à latrone occulto primùm globis letaliter transverberatus, dein de in immani ista laniena trucidatus, adeoque bis supplicium mortis jam passus fuisset, post mortem adhuc horrenda illa sententia perduellionis in ipsum lata, & executio in ejus cadaver decreta fuit, uti eam refert Thuan. d. lib. 53. in med. ad ann. 1572. Qua in re id maximè stupendum, quod Bricomotius, cujus jam antementio facta, cum ille quoque perduellionis damnaretur,

tur, atque liberorum suorum causâ commotus, vitæ gratiam à Rege peteret; & Rex ea conditione eam offerret, si conjurationem à Colinio contra Regem initam coram populo fateretur. id recusavit, & mori maluit. prout id refert Thuan. *eod. loc.* Aded ergo defuere omnia indicia, ut post mortem & damnationem demum à perduellionis reo testimonium precio vitæ reddimere necesse visum fuerit! Sed & idē Thuan. *lib. 52. in fin.* similiter refert, tum demum reginæ mandatu scrinia Colinii trucidati excussa fuisse, si quid in iis reperiri posset, quod vulgatum atrocis facti invidiam apud externos Principes lenire posset. At nihil invenere, sed in contrarium omnia præclara in Regem fidei argumenta fuere. Thuan. *d. loc. & Autor vit. Colin. pag. 223.* Hic scil. ordo fuit; primum immissus assassinus, qui transeuntem per clatrata fenestram Canonici archibulario idum æreis glandibus transfixit; deinde milites, qui lecto ex vulnere & morbo decumbentem in furiali illa carnificina multis vulneribus jugularunt; tum secuta horrendi carminis sententia & executio in cadaver: denique jussu Reginæ evoluta scrinia, si aliquid indicii inveniri posset; & emtus in eum vitæ precio testis, & ipse Majestatis damnatus, qui tamen mori quam mentiri maluit. Thuan. & *Aut. vit. Col. d. l.*

§. 19.

In historia executionis in effigie Buceri & Fagii, præclarissimi illi viri omnia jussu & autoritate legitimi Regis Edwardi VI. tum regnantis, in sacris disposuerant, in hanc ipsam rem publicè à Rege evocati è Germania: neq; tum aliud legitimum imperium ibi fuit, quod violare aut in quod committere potuerunt. Perduellionis igitur damnati sunt quadri-

driennio post mortem, quod legitimi Regis Imperfō paruerunt; quam rem ibidem ita refert Thuanus Lib. 17. post princ. ad ann. 1556. Porrecto legatis libello rem juris formā tractari placuit: citati mortui primo atque altero edicto, productique contra illos semel atque iterum testes; cum nemo compareret qui eorum defensionem suscipere aude-
ret, tandem tanq. contumaces damnati sunt, dieque dicta coram Academia Ordinibus, postquam Castrensis oratione habita iudicii severitatem excusavit, neque justum esse dixit, permittere ut infirmorum animi ob inexpiatum nefas diuinius torqueantur, sententia pronunciatur, & mortuorum cadavera effodi, ac magistratui Regio, quandoquidem sanguinis penam infligere Sacerdotibus non licet, tradi iubentur: aliquot dierum spacium intercessit, dum Londinum missa sententia à magistratu mandatū veniret, quo pena infligebatur &c. Tandem 8. Eid. Febr. cadavera effodiuntur, & paratā in foro areā palus magni ponderis in terram defigitur, cui corpora, NB. quasi vivorum, alligantur, comparatā magnā ligni strues, quæ excurerentur: tum tabulata eriguntur inclusis cadaveribus, & utraq; ex parte sudes defixæ circumdatā longā catenā ferreā, injectique libri Protestantium &c. Neque hic Scenæ finis: Fœmina quoque, P. Martyris uxor, quadriennio antè mortua, quod in eadem ac maritus doctrinæ sententia fuisset, damnata, ejusque cadaver effossum, Baji bumeris impositum, apud Marsallum Decanum in sterquilinitū dejectum fuit. Thuan. eod. loc. Ubi idem Autor simul memorat; post Mariæ mortem omnia, quæ contra eorum memoriam acta erant, rescissa, Academia nomine orationem in demortuorum laudem habitam, superiorum temporum crudelitatem, quæ non solum in vivos sed etiam in mortuos sevisset, multis verbis exagitata: sed & in eandem sententiam à Jacobo Pilkintono multa verba facta fuisse; & in memoriam injuriarum.

arum revocatum Stephani VI. & Sergii III. Rom. Pont. exemplum, qui ob privatas in Formosum Papam mortuum exquiritam immanitate olim grasati memorantur. Hactenus Thuanus. Sanè collatis Mariæ & Elifabethæ rebus, sub illa omnia vi, ferro, igne, sanguine; sub hac nihil vi, sed omnia suffragiis publicis & Consilio Parlamenti placidissimè acta fuerunt; ut testatur Cambd. in vita Elis. part. 1. ad ann. 1558. in fin. & ad ann. 1559. in princ.

S. 20.

De effectibus executionis in effigie, aliisque quæ eò pertinent, vix opus erit quid addere, cum ex traditis facillè intelligantur. Nec executione in mortuos peractâ, quæstio superest. Quod si in absentes statuta fuerit qui alibi vivunt, nec in potestatem redigi possunt, quæri de eorum statu & juribus possent. Jure communi constat, eos maximam quoque capitis minutionem pati, & libertatem quoque amittere, ut cautum est in *l. 29. ff. de Pæn.* Verùm cum servitus talis inter Christianos ferè abolita sit, superest saltem media, quæ civitatis omnia jura perdunt. Absentes igitur post damnationem seu executionem in effigie instar deportatorum seu proscriptorum sunt. Quorum id jus est, ut bonis eorum omnibus confiscatis, in iis quæ post confiscationem adquirunt, jura quidem gentium retineant; *l. 15. ff. de Interd. & releg. l. 22. §. 5. ff. Mandat.* heredem tamen in iis non habere nequeant, sed post mortem eorum hæc quoque bona fisco cedant. *l. 2. C. de Bon. prosript.* Verùm secuta executione in effigie ne quidem videntur jure gentium tuti esse, sed & postea acquisita bona fisco vindicari posse: proscriptio enim, quæ vitam non aufert, nec tollit potestatem rebus suis postea

(45.)

postea quæsitis utendi jure gentium; at capitis pœna
adversus fiscum tollit. Et si autem inde quoque in-
ferendum videatur, damnatū à quolibet occidi quoq;
posse: id tamen secus est; nisi specialiter sententiâ
expresum sit: Quin, etsi banni formula ei inserta sit,
non tamen inde promiscuè jus interficiendi statuendū
esse expositum est *cap. 1. §. 27. 28. & cap. 2. §. 7. 8.* Id enim
cum jus proprium Magistratus sit, privatis non compe-
tit, nisi evidenter concessum appareat. Reliqua
cum spontè hinc fluant & pateant, ne instituti
modum excedat disputatio, mittimus &
pedem hic figimus.

FINIS.



ERRATA.

- Pag. 1. §. 1. lin. 1. pro imprimis legend. inprimis.*
Pag. 7. §. 10. l. 4. pro sanguinis leg. sanguis.
Pag. 25. l. 4. pro mea leg. in ea.



(47)
postea de hisce libris bene considerari et diligenter
adversus alienam sententiam. In autem inde anquid
totumliber libere dicitur a quolibet modo
potesse ad idem libere esse: nisi necessitate
explicet: Quod potest fieri in
non tam inde potest fieri inter se
esse expostum est: et de his libris
Ceterum in quibuslibet libris de privatis non dicitur
lib. III. an eadem sententia sponatur. Hic
lib. III. de his libris dicitur & patet, no
modum exchat christiano, tantum de
pocum hic libris.

F I N I S

ERRATA

Pag. 2. r. 1. in 1. pro imprimis legere. imprimis
Pag. 7. r. 1. 4. pro sanguinis leg. sanguis
Pag. 27. 4. pro met. in ca.



ULB Halle
003 499 685


3



Sh

✓ D 78





10. J. K. 12

Gr. 5. num. 37. 2

~~24~~ DISPUTATIO JURIDICA, ^{DE}
JUSTITIA POENÆ
IN ABSENTES VEL MOR-
TUOS STATUENDÆ, ATQVE
IN EFFIGIE EXEQVENDÆ.

9. 427.

^{Quam}
FAVENTE DIVINO NUMINE
RECTORE MAGNIFICENTISSIMO,
AUGUSTO & SERENISSIMO REGIO PRINCIPE ac DOMINO,
DN. FRID. WILHELMO,
REGNI BORUSSÆ, ac ELECTORATUS BRANDENBURGICI
HEREDE &c. &c.

PRÆSIDE
VIRO PERILLUSTRI
DN. HENRICO COCCEJO,
AUGUST. ac POTENTISS. BORUSSÆ REGIS

CONSILIARIO INTIMO,
FACULTAT. JURID. ORDINARIO, & IN HAC ALMA VIA-
DRINA ANTECESSORE PRIMARIO,
Ad d. XXVI. Febr. Ann. MDCC XI.

IN AUDITORIO JURIDICO
Placido Eruditorum Examine sistit
FRIDERICUS WILHELMUS de MARWITZ,
Eques Marchicus.

Francofurti ad Viadrum, *Literis Joh. Christoph. Schönerm.*
UNIVERSITÄT ZWISSEL

